



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 44. Alia Lansaci epistola ad Papam, atque Insulanum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI
A.C. 1562.

„edixerim, tot Episcopos a Gallis, &
„Germania ad Synodum venturos, ut Ido-
„lum Roma sint profligaturi: ad hoc ac-
„cusationis caput respondeo, illum esse
„mendacem, qui me hæc dixisse, aut
„cogitasse, vel ejusmodi convitia in mea
„præsentia proferri, passum esse,
„asserere audet; ego enim nec adeo in-
„sensatus, nec tam perversus sum, ut
„talibus verbis os meum polluere vel-
„lem: nimis quoque ingenue, ac libe-
„raliter educatus fui. Ceterum cum
„Sanctitas sua ejusmodi calumniis ni-
„mium faciles præbeat aures, non at-
„tenta probitate mea, hinc haud am-
„plius me excusabo, spe fretus, quod
„veritas malitiæ, ac horum menda-
„ciorum nequitia prævalitura sit: inte-
„rim tamen nullum non movebo lapi-
„dem, ut a Rege meo abeundi copiam
„obtinere valeam, quamvis certus sim,
„quod Rex Christianissimus nullum me
„magis Christianum, aut magis pro-
„bum, qualis etiam per totam meam
„vitam ero, subrogare valeat.,

§. XLIV.

*Alia Lansaci epistola ad Papam, at-
que Insulanum.*

Mem. p. 237.

243. Lettr.

de Lansat a

l'Isle du

15. Juin.

Jam octava ejusdem Mensis die Lan-
facus suadente Mantuano Cardinale
datis ad Papam literis suam agendi
ratio-

rationem vindicare nitebatur, exponens, quod ea tantum consilia animo volutet, quæ suo munere sibi commisso, ac Principis illius, qui suam ei auctoritatem credidit, Majestate digna forent, nec quicquam finitri a Legatis ei imputari valeret, quapropter Papam a se rogari scribebat, ut potius eorum testimoniis, quam perversorum hominum calumniosis accusationibus fidem præbere velit; cum ejusmodi detractores nil nisi tumultus concitare, animosque magis exasperare, iniquo prorsus consilio quærant. In alia epistola ad Insulanum hac super re scripta significabat Lansacus, quod Mantuanus Cardinalis Tridento abeundi copiam petere decreverit, eoquod Papam adversus ipsum finistris opinionibus præventum experiatur, quamvis ipse muneris sui partes summa fide explere, semper sollicitus fuisset. Hanc ob rem Lansacus Insulanum rogabat, quatenus Papam, ne ejusmodi veniam Mantuano concederet, impedire, omnibus viribus niteretur, cum id absque gravi Concilii præjudicio fieri haud posset, de cetero autem quod in Mantuani favorem scripsisset, non divulgaret, sed religioso silentio premeret, cum sibi persuasum habeat, preces a se interpositas Romanæ Curiae parum acceptas fore, quamvis

Sæcul XVI.

A.C 1562.

Pallav. c. 3.

num. 4.

Sec. XVI.
A.C. 1562.

de sinistra in se concepta opinione parum sollicitus sit, cum Deus cordis sui intima probe cognoscat, solique Domino suo de actionibus suis rationem reddere obstrictus sit, licet ipsum non parum offendat eorum malitia, qui Dei, Ecclesiæ, ac publicæ quietis hostes, ut Synodum dissolvendi ansam captent, Mantuanum Sanctitati suæ suspectum reddunt, perinde acsi contra ejus auctoritatem quicquam moliretur, cum tamen talia nullus ab eo unquam expertus fuisset.

§. XLV.

Pontifex erga Mantuanum Cardinalem, & Lansacum benignior.

*Pallav. c. 3.
num. 4.
Lit. Vice
com. ad Bor-
rom. 25.
Jun. apud
Pallav. l. c.*

Accepta hac Lansaci epistola, perlectisque literis, quas idem ad Franciæ Oratorem Romam perscripserat, summus Pontifex nonnihil indignationem adversus illum conceptam deponere, ac de ejus agendi ratione contentus esse videbatur, quinimo magis adhuc benignam de Mantuano Cardinale opinionem fovere cœperat, postquam per Cardinalem Borromæum literas Vicecomitis perlegerat, quibus hæc nuntiabantur: „sparsus fuit rumor, „quod Legatorum primus veniam ab- „eundi a Pontifice petierit; duæ au- „tem hujus famæ, causæ afferuntur,
& qui-